

edito die 3 Augusti 1745, ut in ejus *Bullario*, tom. II, in Appendic. n. 8, p. 46.

(145. Sacerdoti simplici per Pontificem ex suprema auctoritate delegari possunt ea, quæ ad mysticum Christi corpus pertinent; quod tamen diaconis, qui non habent perficere corpus Domini verum, jure ac merito denegatur. *Benedict. XIV.*, in Appendice ad tom. IV, sui *Bullarii*, constitut. incip. *Ex tuis*, § 9.

(146. Sacerdotes tam in Latina quam in Græca Ecclesia, juxta veterem disciplinam, cum episcopo celebrant. *Bened. XIV.*, const. inc. *Allate sunt*, § 28.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(147. Sacerdotes exteri, tum et maxime peregrini, non sunt admittendi ad missas celebrandas et sacramenta administranda sine litteris commendatitiis suorum ordinarior. ut, innovatis antiquis canonibus, statuit concilium *Tridentin.*, sess. xxii, decret. *De observ. et evitand.*, etc., et sess. xxiii, c. 16. *De reformat.*, et post ipsum D. Carolus Borromæus, in *Act. Eccles. Mediol.*, part. iii, concil. provincial. I, p. 9, et concil. provincial. iii, p. 96.

(148. Quinimo fas est episcopo prohibere ne regulares in eorum Ecclesiis sacerdotes exteros celebrare permittant divina officia, nisi prius ab ipso episcopo, visis litteris commendatitiis, admissi fuerint; ut decisum referunt *Ventrigl.*, in *Prax.*, tom. I, adnotat. 24, § unic., n. 5, et adnotat. 48, § unic., n. 125; *Passerin.*, *De stat. homin.*, tom. IV, quæst. 189, articul. 10, n. 991; *Nicol.*, *Lucubrat. canonic.*, lib. iii, tit. 31, n. 15; *Frass.*, *De jurepatron. reg.*, tom. II, cap. 73, n. 36.

(149. Idque verum adeo est, ut sacerdotes exteri celebrantes in Ecclesiis Regularium, non visis prius litteris commendatitiis ab episcopo; tum etiam ipsi superiores Ecclesiarum regular. incurant in pœnas in synodo diœcesana inflicta. *Fermosin.*, in *Rubric. de cleric. peregrin.*, n. 11; *Barbos.*, *Jur. ecclesiast. univers.*, lib. I, cap. 11, n. 31; *Romaguier.*, ad *constit. synodal. Gerund.*, lib. I, tit. 4, cap. unic., n. 6.

(150. Cæterum si sacerdos aliquis exterus per longum tempus in loco aliquo celebraverit, ejusque mores jam sint noti, non est cogendus litteras commendatitiis sui ordinarii ostendere, ut relata resolutione S. congregationis Episcoporum et Regularium negotiis præpositæ firmant. *Fermosin.*, in d. *Rubric. de cleric. peregrin.*, n. 11; *Barbos.*, *Jur. ecclesiast. univers.*, lib. I, cap. 11, n. 31; *Romaguier.*, ad *constit. synodal. Gerund.*, lib. I, tit. 4, cap. unic., n. 6, ubi n. 7 et sequent., (151. tradit quas solemnitates requirant litteræ commendatiæ clericorum ultramarinorum. Sed v. *Addit. Casin.* V. TESTIMONIALES ET COMMENDAT. LITERÆ.

(152. Reliquum est ut discutatur, an episcopus prohibere valeat, ne sacerdotes regulares peregrini celebrent in Ecclesiis regularium? Obtinuit autem hæc distinctio, ut prohibere nequeat, si sacerdotes illi

peregrini in loco illo habeant ecclesias sui ordinis, possit vero prohibere, si ecclesias inibi sui ordinis minime habeant; ita definiisse S. congregationem de Propaganda fide coram sanctissimo habitam die 18 Julii 1626, refert *Romaguier.*, ad *constit. synodal. Gerund.*, lib. I, tit. 4, cap. unic., n. 4.

ANIMADVERSIONES AUCTORIS.

Quæ in his additionibus a n. 1 ad 3 producuntur, jam ego prius tradideram sub num. 50 et 51, adducens ad id decretum S. cong. Conc. et jam etiam tradideram in verb. *MISSA*, art. 6, n. 7 et 8, allegans ad id conc. *Mediolan.* I, et decreta S. cong. Conc., in *Bononien.* et in *Neapolit.*, et sæpe alibi. Vide, *ibid.*

ADDITIONES CASINENSES.

(153. Agit equidem auctor sub num. 33, hujus articuli de presbyteris, qui juri civili operam dare volentes, dispensatione Apostolica opus habent. Sed, ut plenius res intelligatur, præter dicta in addit. nostris sub v. *MAGISTER*, num. 10, lubet hic eandem rem fusius evolvere, tam quoad ejusmodi clericos dictam scientiam docentes, quam quoad illos eidem facultati incumbentes.

(154. *Clariss. Barbosa*, in lib. iii *Vot. decis. et consultat. canonic.*, vot. 88, dub. 1, hanc materiam magistraliter pertractat; ejusque doctrinam (quoad cler. docentes) operæ pretium ducimus hic per extensum referre, per hæc sane verba:

(155. « *An presbyteris liceat jus civile publice legere, et interpretari?*

« Pro parte negativa primo adducitur text. in cap. *Non magnopere* 3, Ne clerici vel monachi, etc., in illis verbis, ibi: *Statuimus, ut nulli omnino post votum religionis, et post factam in aliquo loco religioso professionem, ad physicam, legesve mundanas legendas permittantur exire, etc.*

« Secundo allegatur text. in cap. *Super specula*, fin. eod. tit. *Ne clerici vel monachi*, quo loco prohibitio cit. cap. *Non magnopere*, quæ tantum loquitur de religiosis, extenditur ad presbyteros sæculares, et ad alios clericos dignitates vel personatum habentes...

« Tertio ponderatur text. in cap. *Super specula*, De privileg. ibi: *Ne Parisiis vel in civitatibus, seu aliis locis vicinis, quisquam docere vel audire jus civile præsumat*, etc., ex quo colligant nonnulli, esse prohibitum in ordine presbyterali et ecclesiastica dignitate constitutis, non solum audire, sed etiam publice interpretari jus civile legendo....

(156. Verum, his non obstantibus, contraria opinio affirmativa, quod scilicet liceat presbyteris jus civile publice legere, verior et receptior est, a pluribus non contemnendæ auctoritatis doctoribus....

« *Suarez vir* (prosequitur *Barbosa*) usque ad miraculum doctus, tom. V. *De censur.*, disput. 23, sect. 3, ex n. 17, tenet quod docentes, non comprehenduntur, et quod verbum *legendi*, de quo supra, (nempe in allatis text.) intelligendum est, ut non sit idem quod do-

cere, sed quod studere hujusmodi doctrinis.

« Tanto magis, (sic idem *Barb.*) quia nulli in jure reperitur prohibitum presbyteris publice jus civile legere... et sic intrat vulgaris regula, et notum juris axioma, *permisum censetur, quod non invenitur prohibitum*....

« Non obstat (ita *Barb.*) text. in d. c. *Non magnopere*, supra cit. n. 1, quia respondetur, in eo religiosis minime prohiberi tanquam magistris leges interpretari, docendo illas alios secrete aut publice, sed solum vetari illis veluti discipulis legere, studendo vel discendo de novo leges. Cui intelligendi modo non contradicit verbum *legendas*, quia... ex mente et verbis ipsius (textus) particulam lectionis accipi pro lectione *discipuli*, (respondent *DD.* non pauci) in quantum discit. Et sic concludens dico, quod d. cap. *Non magnopere*, minime loquitur de *legendibus*, sed de *addiscentibus*, quia ponitur ibi *legere* largo modo, omnis enim, qui studet, ut proficiat, legit....

« Nec obstat (proseq. *Barb.*) text. secundo loco allegatus supra n. 2, in d. cap. *Super specula*, fin. eod. tit. *Ne clerici*, etc., quia respondetur, per illum, si recte inspiciatur, non prohiberi clericis sæcularibus tanquam magistris legere, et alios docere privatim, aut publice jus civile, sed solum prohiberi eis tanquam discipulis illud audire et addiscere, intendo verba *audire*, quod proprie ad discipulum refertur. » (Sed de discentibus d. jus civile infra dicemus, cit. textum explicando.)

« Minus obstat text. tertio loco citat. supra n. 3, in d. cap. *Super specula*, De privileg. respondetur, illud non esse constitutionem generalem, sed solum continere prohibitionem specialem circa civitatem Parisiensem, et alias vicinas, in quibus Pontifex absolute prohibuit, ne quisquam docere audire jus civile præsumeret. Cum ergo sit constitutio et prohibitio localis, extra ejus limites egredi non potest. » Hæc in terminis apud *Barbosam*, *loc. cit.*, num. 1, 2, 3, 7, 18, 21, 23, 24.

(157. Huic doctrinæ coherent, quæ a doctissimo cardinali *Petra* ad rem traduntur, tenoris sequentis: « Non incongruum est quærere, an regulares et presbyteri, aliique clerici valeant in publicis universitatibus cathedras juris Cæsarei, et medicinæ moderari, adeo ut dispositio cap. *Non magnopere*, et cap. *Super specula* (superius cit.) sit duntaxat restricta ad *studentes*, non autem comprehendat docentes.

(158. « In hoc sane Theoremate (prosequitur *Petra*) duas quasi contrarias efformant sectas *Hostien.* et abbas. Siquidem *Hostien.* cum suis sectatoribus satis superque clare ex contextu d. cap. *Non magnopere*,

(20) « In communi autem loquendo, id videtur saltem consuetudine prohibitum, ut religiosi medicinam, et jus civile doceant, nec cathedras in his scientiis moderentur, cum eorum non sit proprium ejusmodi studium, nec aptum ad finem, qui in re-

pro negativa resultare autumat hujus quæsitæ decisionem; ibi enim dicitur: *Ad legendas leges*; et infra, *ad physicam legesve mundanas legendas non permittantur exire*. Quapropter non tantum ibidem prohibetur dictas scientias audire, verum et legere, sive docere...

(159. « Verum abbas... ait, (sic idem *Petra*), quod ex casu dicti textus evidenter colligitur, ibidem duntaxat *studere* non *docere* esse prohibitum. Hujus namque prohibitionis causa fuit, quod nonnulli religiosi, ad *proficiendum*, non ad *docendum* e claustris exibat, ut apti se redderent (ibi) *linguentium fratrum consulendi corporibus, et ecclesiastica negotia fidei pertractandi*: verbum autem *legere* ibidem, non pro *docere*, sed pro *addiscere*, usurpatur, cum omnis, qui studet, ut proficiat, legat... unde idem abbas concludit, quod præfati textus solum loquuntur de audientibus sive *legendibus* studendo, ideoque, tanquam pœnales ad docentes non sunt extendendi.

(160. « Ab hac (prosequitur idem *Clariss. Petra*) opinione abbatis, tanquam veriori et communi, non est recedendum, ut dicunt *Fagn.*, *Gonzalez*, *Barbosa*, *Suarez*... et pro ejusdem sententiæ probabilitate, magnam vim faciunt declarationes d. cap. *Non magnopere* subsequenter factæ ab *Honor. III.*, in cit. cap. *Super specula*, et *Bonifac. VIII.*, in cap. *Statutum*, Ne clerici, etc., in quibus duntaxat prohibetur, dictas scientias audire et studere: unde, ut bene notat idem *Fagnanus*, nimis præsumptuosum esset, quod ipsi Pontifices non expresserunt, asserere. Unde concludendum est cum abbat. et *DD.* proxime citatis, quod presbyteri et regulares, nisi ex particularibus constitutionibus prohibeantur, possunt docere, et cathedram juris civilis, et medicinæ in publica universitate moderari, cum eisdem de jure communi hoc censeatur permisum, dum in d. textibus, nec alibi invenitur prohibitum. » *Comment. ad constit. Apost.*, tom. IV, const. 2, *Bonifac. IX.*, num. 18 et seqq. (20).

(161. Quoad vero studentes attinet, si de religiosis agatur, hi quidem, non debent extra claustrum in scholis publicis audire leges, seu jus civile et physicam, seu medicinam sub pœna excommunicationis, nisi intra spatium duorum mensium redeant. Cap. 3, titul. cit. *Ne clerici*, etc.; *Maschat.*, *Institut. canonic. ad dict.*, titul. *Ne clerici*, etc., num. 7, n. 6.

Quantum vero ad clericos spectat, ex d. cap. fin. *Super specula*, tit. cit. *Ne clerici*, etc. Archidiaconi, decani, plebani, præpositi, cantores, et alii clerici personatum habentes, nec non presbyteri, prohibentur studere juri civili, vel medicinæ, sub eadem pœna excommunicationis latæ sententiæ, si

ligionibus intenditur; et aliquam indecentiæ speciem respectu habitus religiosi præferat, quod quis hujusmodi scientiis, maxime medicinæ, et chirurgiæ docendis incumbat. » *Schmalzgrueber.*, ad tit. ex. *Ne clerici*, etc., n. 78

infra duos menses a tali studio non destiterint. Quæ dispositio utpote pœnalis, non extenditur ad diaconos, subdiaconos et minoristas, nullam dignitatem, aut personatum obtinentes; Maschat, *loc. et n. cit.*

(162. Audiamus insuper prælaud. card. Petra in hæc verba: « Presbyteri, alique minores clerici personatum, sive in titulum, sive in commendam habentes, ubi vis leges, vel physicam, vel medicinam audiant, sive private in propriis domibus, sive publice in Universitatibus, post duos menses computandos a quo die inceperunt audire, in censuras ipso facto incurrunt, et fiunt inhabiles ad ordines et beneficia absque Summi Pontificis dispensatione... ut firmiter Fagn., in cap. *Super specula*, ad tit. *Ne clerici*, etc. Graff. Corrad., in *Prax. dispensat.*, lib. v, cap. 5, n. 3 et 7, vers. *Porro*. Diaconi vero et subdiaconi, alique inferiores clerici, quamvis obtineant beneficia, dummodo non personatus (21), sub censura hujus textus non comprehenduntur... » *Loc. cit.*, n. 8.

(163. Verum, cum hujusmodi prohibitio non eo sane dirigatur ad improbandum studium talium scientiarum: « Ideo dicendum, quod duntaxat studium principale, quod scilicet sic terminet ad solum oblectamentum, vel ut quis efficiatur causidius, vel physicus (professiones quippe alienissimæ a sorte clericali), a sacris canonibus et conciliis prohibetur; qui enim ad eruditionem sæculares scientias addiscunt, ut utilia, quæ in eis inveniunt, ad usum sacræ eruditionis devoti vertant, tales laudabiliter sæcularibus incumbunt litteris... (Hinc est) quod studium legum civilium, ad majorem sacrorum canonum intelligentiam, regularibus et presbyteris, aliisque clericis personatum habentibus non prohibeatur, dummodo fiat private in camera, ne cadat sub prohibitione auditus, communiter firmant DD. » Idem card. Petra, *ibid.*, n. 10 et 11.

(164. « In publicis autem (Universitatibus regularibus, et clericis prædicti (nempe presbyteri, alique personatum habentes, etc.) indistincte nequeant juri civili et medicinæ studere, cum sive studium fiat principaliter, sive obiter, locum sibi vindicaret dispositio dicti cap. *Non magnopere*, ratione auditus, ubi nulla distinctio reperitur. » Petra, *l. c.*, n. 12.

(165. Plures tamen Academiæ peculiariibus privilegiis a Summis Pontificibus ab hujusmodi sanctione exemptæ fuerunt, adeo ut non tantum clerici, quibus leges, et physicæ sub censuris (addiscere) est prohibitum in eisdem libere incumbere possint, verum ut fructus suarum præbendarum tanquam præsentibus lucrari valeant, ac si juri

(21) Personatus est administratio perpetua rerum ecclesiasticarum cum aliqua prærogativa, estque quid minus quam dignitas, sed quid plus quam officium, et inter beneficia ecclesiastica recensetur.

(22) « In provinciis et regnis, in quibus similis consuetudo non viget, ut in Universitatibus, clerici et religiosi cuius studiorum facultati libere vacare possint, necessarie petitur licentia a S. congregatione,

canonico vel theologiæ student, ut de archigymnasio Sapieniæ Romæ expresse elicetur ex constituto Leonis X, incip. *Dum suavissimos*, § 3. In ejus quidem constituto sequelam firmavit Panimolle, in Universitate Sapieniæ urbis Romæ posse presbyteros, aliosque clericos, legibus et medicinæ incumbere, et censuit S. congr. Conc., in *Romana, seu Nicoter. legati* 14 Febr. et 30 Maii 1699, lib. XLIX *Decret.* a tergo, pag. 55 et 207 a tergo; Petra, *l. c.*, n. 13.

Simili privilegio decoratum fuit Studium Patavinum et Senarum, ut notat Lotter., *De re beneficiar.*, lib. III, q. 27, n. 207, utpote etiam Studium Pisanum ex constitutione Innocentii VIII, et Universitas Pictaviensis, ut memorat Gonzalez, in cit. cap. *Non magnopere*, n. 4; Petra, *ibid.*, n. 14.

(166. Præstat quoque audire, quæ habet Schmalzgrueber, hoc sane pacto: « Quid sit de jure scripto, summa legum utilitas, vel necessitas ad rite intelligendos sacros canones occasio fuit pluribus Universitatibus concessi privilegii Apostolici: et tale privilegium habet archigymnasium Sapieniæ (aliasque ponit universitates a Petra enumeratas), Salisburgensis quoque Universitas, et nostra (prosequitur anted. scriptor) Ingolstadiensis, et aliæ (Universitates) apud alios. Quæ (vero) Universitates (sic idem exim. Canonista) privilegium istud non habent Indulto Apostolico, istud in Germania nostra acquisivisse videntur consuetudine, cum in hac clerici et religiosi ad utriusque juris studium passim admittantur. » Ad cap. cit. tit. *Ne clerici*, etc., n. 85 (22).

(167. « Hodie (sic pariter Maschat) ex privilegiis aut consuetudine, clericis et religiosi cum licentia prælatorum licitum est audire jus civile in scholis publicis, et multo magis intra claustrum: quia non audiuntur leges, ut clerici causas forenses in tribunali laico tractent, sed ut melius intelligant sacros canones et theologiam moralem, magisque idonei fiant ad exercenda judicia ecclesiastica. » Maschat, *loc. et n. sup. cit.*

(168. Restat denique inquirendum, an clerici prædicti, qui jurisprudentiæ operam navant, non quidem principaliter, sed ob majorem canonum intelligentiam, fructus beneficiorum, dum in publicis Universitatibus student, æque laudentur, ac discerent in iisdem Universitatibus theologiam ac sacrorum canonum scientiam: affirmativam tuetur sæpe memoratus cardinalis Petra, allegans ad id, S. cong. Concil. decretum (quod mox afferemus) sub die 31 Maii 1607, sed *limitate* pro clericis personatum, etc., non habentibus, item pro non presbyteris,

quæ tamen difficulter eam concedit. Certe Petra (*Comment. ad const. Bonifac. IX*, tom. IV, n. 16) testatur, ejusmodi supplicationes, se secretario, semper fuisse rejectas, præsertim quoad religiosos, eodem teste, nunquam dispensari solet, ut in publicis Universitatibus leges, aut physicam, seu medicinam audire possint. » Schmalzgrueber ad tit. *Ne clerici*, etc., n. 86.

idque ex cit. cap. *Super specula*, quo presbyteris, etc., hujusmodi studium generatim interdicitur. *Comment. ad const. Apost.*, const. 10. *Bonif. VIII*, n. 5, tom. III.

(169. Objicies, cum civilis sapientia pro majori S. canonum intelligentia, ut per se clarum est, vel maxime conducat, admissio, quod in hac, aut illa Universitate, ex privilegio Apostolico vel consuetudine, clericis personatum, etc., habentibus, nec non et presbyteris haud sit interdictum jurisprudentiæ, nempe ut profundius doctrinam canonum assequantur, operam dare, nulla ratio subesse videtur, cur æquali concessione, non secus ac cæteri clerici non presbyteri, frui non debeant. Ubi enim eadem ratio, idem jus procedere ex utriusque juris regulæ compertum est. Cumque in presbyteris, etc., præmissis ejusmodi indulto Apostolico vel consuetudine, cesset prohibitio, de qua supra, jus civile addiscendi, concludi sane posset, eorum conditionem cæteris clericis non presbyteris, aut personatum, etc., non habentibus, deteriolem haud esse oportere.

(170. Verum scias oportet, quod cum a S. cong. Concilii quæsitum fuisset, 3. An *iisdem*, nempe sacerdoti et diacono (de quibus sermo erat) debeantur fructus, etc., si juri civili studuerint, non canonico, aut theologiæ: eadem sac. congregatio die 31

## SACRAMENTALIA.

Vide verb. PECCATUM, a n. 47 ad n. 55.

## SACRAMENTUM.

## ARTICULUS I.

Quoad ea quæ concernunt sacramentorum naturam, institutionem, numerum, materiam, formam, ministrium et intentionem.

## SUMMARIUM.

1. Sacramenti a sacro derivati, variae sed præcipue tres sunt acceptiones, quæ assignantur. — 2. Sacramentum, prout in proposito accipitur, definitur. — 3. Sacramenta novæ legis fuerunt omnia a Christo Domino instituta, et ea nec plura, nec pauciora, quam septem, quæ assignantur. — 4. Sacramenta novæ legis differunt a sacramentis antiquæ legis, quia antiqua figurabant gratiam dandam per Christi passionem; nostra vero eam continent, et ipsam digne suscipientibus conferunt. — 5. Unde sacramenta novæ legis non differunt ab antiquis solum, quia sunt aliæ cæremoniæ, et alii ritus externi. — 6. Ea, quæ concernunt ad longum sacramenta antiquæ legis, brevitate gratia relinquuntur videnda apud scholasticos. — 7. Sacramenta novæ legis varie differunt etiam inter se. — 8. Quædam dicuntur, et sunt sacramenta mortuorum, et quædam alia sacramenta vivorum, et quæ sint utraque? — 9. Item quædam sunt iterabilia, et non characteristica, et quædam initerabilia, et characteristicæ; et quæ sint utraque? — 10. Item quædam sunt formata, et quædam informia, et quæ sint utraque? — 11. Non potest dari sacramentum Pœnitentiæ validum quoad essentiam, et informem quoad effectum gratiæ. — 12. Item quædam sunt permanentia, et quædam transeuntia; et quæ sint utraque? — 13. Item quædam sunt omnibus necessaria, et quædam non necessaria omnibus; et quæ sint utraque? — 14. Sacramenta novæ legis sunt necessaria ad salutem, vel in re, vel in voto, licet non

Maii 1607 ad 3. Respondit: *Idem deberi ei, qui tricesimum non excedit, dummodo juri civili operam dederit, causa addiscendi postea jus canonicum: nempe deberi fructus, etc., duntaxat diacono, sicque presbyterum exclusit.*

(171. « Quæ posterior resolutio, ut vides (verba sunt Fagnani ad cit. caput *Super specula*, ex. tit. *Ne clerici*, etc., num. 33) restringitur ad diaconum, quia ipse non cadit sub prohibitione hujus decretalis (*Super specula*), ac proinde percipit fructus præbendæ in absentia, dum studet juri civili ad intelligentiam canonum, quos non perciperet, si juri civili studeret principaliter. »

(172. Unde concludit supra laudatus Petra: « Pro comperto est quod nullus, præter Papam, dispensare potest, vel quod presbyteri, alique comprehensi in cit. cap. *Super specula*, incumbere possint legibus, vel medicinæ, etiam transeundi causa ad jus canonicum, et theologiam, vel quod alii clerici hujusmodi sæcularibus scientiis incumbere non prohibiti, valeant interim fructus beneficiorum suorum lucrari, ac si juri canonico, vel theologiæ student. » *Comment. ad cit. constit. 2 Bonifac. IX*, n. 17, tom. IV.

omnia omnibus. — 15. Sacramenta non sunt paria, sed unum alio dignius. — 16. Sacramenta non sunt sola signa, seu notæ Christianitatis. — 17. Sacramenta non sunt instituta propter solam fidem nutriendam. — 18. Sacramenta tribus perficiuntur, scilicet rebus, verbis, et ministro cum intentione. — 19. Hinc ad essentiam cujuslibet sacramenti tria necessario requiruntur, scilicet materia, et forma, et intentio. — 20. Materia in quolibet sacramenti est res aliqua sensibilis applicata suscipienti per actionem externam ministri. — 21. Forma in quolibet sacramenti sunt verba certa una cum applicatione materiæ proferenda a ministro, aut signum aliquod externum æquivalens, et faciens id quod facerent certa verba. — 22. Materia in quolibet sacramenti est duplex, scilicet remota et proxima; et quæ sit utraque? — 23. Quenam sit materia remota, et proxima cujuslibet specialis sacramenti? *remissive*. — 24. Item forma in quolibet sacramenti est duplex, scilicet remota, et proxima; et quæ sit utraque? — 25. Ad valorem sacramentorum quænam requiratur simultas inter eorum materiam, et formam? — 26. Consultissimum est ut ministri sacramentorum curent majorem, quam possunt facere simultatem, materiæ, et formæ. — 27. Materiæ et formæ sacramentorum fuerunt omnes a Christo institutæ et determinatæ quoad substantiam; at non omnes et singulæ uniformiter et æqualiter in particulari et in specie, ad n. 28. — 29. Omnis mutatio substantialis facta in materia, vel forma sacramentorum irritat, et invalidat sacramentum; secus autem si sit solum mutatio accidentalis. — 30. Mutatio materiæ et formæ quando censeatur substantialis vel accidentalis? — 31. Quoad materiam et formam propriam cujuslibet specialis sacramenti, eorumque mutationem substantialem, vel accidentalem; *remissive*. — 32. Quamvis ministri